



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Edmundus Mart. 20. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. EDMUNDUS MART.

20. Novembris.

**A**Lter EDMUNDUS rex est; altera Angliæ gloria. Hic anno DCCC. LXX. cum Iugar Daniæ rex, vastitate Angliæ ingenti illatâ, misisset, qui regias gazas veluti suæ jam victoriæ præmia, ni totas mallet amittere, dividere secum iuberet, fortiter respondit. *Nulla se latronibus stipendia numerare solitum liberum se & regem meminisse, neque aliter, cum vires starent, partituum divitias suas, quam ferro fuisse. Nunc post lacerum regni corpus quid capiti parceret? plebeio sanguine huc usque ebrinum rectius regium hauriunt. Tum denique se extincto totam hæreditatem adiret. Inter spolia Numinis iram, & vindictam reperturum.* His in majores jam iras versus Iugar captum non regis catenis oneravit; flagris deinde servilem in modum acceptum, scopum esse militum sagittis iussit; demum caput auferri, aliter & cælo jam coronandum. Porro hoc feris in pabulum inter dumeta abjectum præclarus jam denique custos lupus tutatus est, & cum caput suâ voce se quæ rentibus prodidisset, etiam finis mœsto ululatu profecutus scribitur. Tyranno in lupum abeunte, lupum in hominem rediisse dixisses. Sed & caput corpori suo redditum integrumque

à tabo



à tabo longè post repertum ajunt; quin  
barbæ capitilque pilos succrescentes  
quotannis detonsos esse. Et dubitabimus  
porro virtutem etiam post mortem vi-  
vere? *Ex Surio.*

*Sicut Christi milites, deposito corporis  
animaque corpore, virtutum procedamus  
ad campum: dedimus corpori annum,  
demus animæ dies: impendimus nobis  
tempora, tempus deputemus auctori, vi-  
vamus DEO paululum, qui saculo vi-  
ximus totum. S. Pet. Chryl. l. 12.*

PRÆSENTATIO B. Mariæ V.

21. Novembris.

**H**Eus! ad spectaculum hodiernum  
omnes vos in orbe parentes voco,  
liberos omnes. Ne dubitate oculos ad-  
ferre, cum, ut hos pascant, effundere  
se cælo, & convolare Superos videam,  
videam arridere, acclamare audiam.  
Ecce *Trimula Virguncula*, Iudææ deli-  
cium, patris & matris amor, spes  
familiæ unica, unica fessæ ætatis virga,  
hæc inquam talis ac tanta, è parentum  
sinu & brachiis non ad Veneris alicujus  
gynæceum, non ad nuptias, quas cunis  
promittere amant patres; sed ad castissi-  
ma vota, ad templi adyta deproperat,  
et volatque ad aram, ipsa mox templum,  
ipsa Numinis ara futura. Assentiun-  
tur interea Ioachimus & Anna, & filiæ  
Zz 5 sibi-